



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. IV. Inferuntur quædam circa visionem beatificam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

86 Disp. XVI. De aequalitate & inaequalitate visionis. Sect. IV.

aqua & oleum elevantur ad producendum gratiam, in sententia afferente gratiam physice à Sacramentis produci; csto enim entitativè sunt inaequalia oleum, & aqua, ut tamen substant elevationi, sunt aequalia, in ordine ad producendum gratiam.

VI.
Lumen gloriæ non magis petit intellectum Angelicum, quam humannum.

Sic ergo lumen gloriæ, licet requirat intellectum ut visionem producat, ob varias formalitates in visione, vitalitatem scilicet, &c. quæ requirunt intellectum, non tamen magis hunc intellectum requirunt quam illum, humanum, quam Angelicum, sed eadem qualitas visionis, ut in fine fecit. primæ dixi, indiscriminatio ab anima & Angelo produci, & in iis recipi potest. Utrunque ergo intellectum elevat, non tanquam hunc, aut illum intellectum, sed solum ut intellectum: quod inde colligimus, quia neutra visio procedit secundum naturalem modum operandi intellectum, cognoscendo scilicet Deum instar rerum creatarum, sed clarè cum videntiо ficiunt est; in quo, ut dixi, differt elevatio ad visionem, ab elevatione ad alios actus supernaturales in via: adhuc enim in his servat intellectus modum operandi naturalem, cum similes actus naturales possit circa eadem objecta elicere, sicque perficitur intellectus juxta naturalem operandi modum, quod contraria contingit in visione.

SECTIO QUARTA.

Inferuntur quædam circa visionem beatificam.

I.
Visiones beatæ possunt specie distincta.

Hec ulterius infero cum P. Erice I. p. d. 49. c. 3. num. 3. P. Granado, tract. 5. d. 8. n. 4. & aliis, visiones beatæ possunt esse specie physice diversas, etiam ubi objectum primarium est planè idem; si enim dari possit visio qua una Persona clarè videatur sine aliâ, aut E. s. t. a. sine Attributis, &c. non videtur dubium quin visiones illæ futura sint specie distinctæ.

II.
Ostenditur diversitas specifica visionum.

Ratio Conclusionis est, quia possunt esse representationes specie diversæ, ergo. Probatur antecedens: cognitionis omnis, cum dicat essentiali ordinem ad suum objectum, tantam necessariò habet varietatem in representando, quantum objectum in

essendo: sed visio, quæ clarè repræsentaret Deum, & in eo sex homines, haberet objectum valde diversum à visione quæ repræsentaret Deum & in eō sex Angelos, vel leones: ergo esset ordo transcendentalis specie distinctus ab altera visione, & consequenter visio specie distincta. Confir: Visio quæ unam creaturam in Deo repræsentaret numero distinctam à creatura quam repræsentat alia, esset numero ab illâ distincta; ergo quæ specie distinctam repræsentat, distinguetur specie. Dices: Sola varietas est in objecto secundario & materiali, non formalis & primario, quod utrobius est Deus. Resp. Varietatem in objectis secundariis sufficiere ad diversificantem visionem, cum non minus verē ea repræsentet, quam primarium, sitque verus ordo transcendentalis ad illa: & per hanc solvit præcipuum fundamentum opposite sententie.

Contra: Contrarium tamen tenet Suarez hic, lib. 2. c. 19. Molina, Salas Tom. I. tract. 2. d. 3. f. 9. & communior sententia Theologorum. Arguit præter dicta: quia gratia & charitas ejusdem speciei est in omnibus Beatis, ergo & visiones, quæ gratiam tanquam radicem sequuntur. Sed contraria: visiones enim peculiariiter respiciunt sua objecta, ad quæ dicunt ordinem transcendentalis, quod in gratia non contingit.

Arguit ulterius ex auctoritate S. Thomæ, qui hinc, q. 12. a. 6. id videtur afferere. Sed, ut bene notat P. Erice citatus n. 34. solum loquitur S. Thomas de visione Theologicæ sumptu, & de primariâ illius specificatione, seu præcisâ in ordine ad Deum, quo sensu dicitur, omnium Beatorum unum esse præmium essentialiæ; sub hac namque consideratione omnes visiones sunt aequaliæ; nulla enim repræsentat Deum mediante tantum, seu per similitudinem prius visam, & hoc solum excludere velle videtur S. Thomas loco citato, non tamen excludit differentiæ ortam in visionibus ex objectis secundariis. Convenienter ergo visiones omnes hoc sensu, & Theologicæ, seu in ratione beatitudinis, differunt tamen physicæ: sicut omnes species logicæ sunt aequaliæ, cum una tam sit species, quam alia, physicæ tamen una longè superat aliam, homo v. g. aut Angelus, leonem.

III.

Negantur
qui visiones
beatæ possunt
specie distincta.

IV.

Visiones
non sunt
objecti secundarii.

Physicæ
sumptu
sunt
objecti secundarii.

Theologicæ
sumptu
sunt
objecti secundarii.

DISPVT. DECIMA-SEPTIMA.

De Relatione transcendentali Dei ad creaturas.

I.
Hac questione ad objectum visionis cognoscendum, est necessaria.

Ad disputationem de objecto visionis beatissimæ, recteque intelligendum quo pacto creatura in Deo videantur, quæ hodie celeberrima est in scholis quæstio, necessariò præmittendum, utrum Deus transcendentaliter referatur ad creaturas: ut enim, si detur hæc relatio, seu essentialis Dei cum creaturis possibilibus conexio, intellectu facilissimum est, quæ ratione creatura in Deo videantur; ita si nulla hujusmodi relatio & connexionem Deum inter & creaturas intercedat, arguere ostenditur quo modo ex vi visionis Dei videantur creature, ut Disp. sequente ostendemus.

II.
Quid nomine relationis transcedentalis intelligatur.

Per relationem ergo transcendentalem intelligimus essentialiæ rei uniti cum aliâ connexionem, ita ut hac implicare, illa similiiter implicaret. Quærimus itaque, an Deus ratione Omnipotens, Scientia, & aliorum Attributorum, ita cum creaturis possibilibus connectatur, ut his implicantibus, Omnipotens, vel Scientia, & consequenter Deus implicaret.

Dux hac in re oppositæ sunt inter se sententia, maximèque, inter recentiores præfertim, controverfa, alii Relationem hanc transcendentalem aftruentibus, alii negantibus; qui proinde dicunt, esto creatura omnes implicarent, nihil tamen feciū Omnipotentiam, aliaque Dei Attributa illæ permanitura & integra, utpote quæ hi auctores non absoluta ponunt, sed conditionata, & per possibilitatem tantum creaturarum, positionemque alicujus extrinseci transiuntia in absoluta.

Mihi in hac controversia, verior semper visa est pars affirmativa, dari scilicet Relationem Dei ad creaturas, nec salvâ Omnipotentiâ, aliisque non nullis Attributis, negari posse. Hanc Conclusionem, relatis in utramque partem sententias, rationibusque discussis, late probavi Disp. sexta Physicorum, ubi dicta videri poterunt; hic enim ea de novo repeterem, supervacancum fore.

III.
Due oppositæ
ta de Rela-
tione trans-
cendentali
sententia.

IV.
Deus trans-
cendentaliter
referatur
ad creaturas.

DISPV-